





9916  
No. III  
1793, 12.

DE  
**A M P L I A T I O N I B V S**  
IUDICIORVM PVBlicORVM  
APVD ROMANOS  
E X E R C I T A T I O

---

ILLVSTRIS IVRISCONSULTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
PRAESIDE  
**CHRISTIANO DANIELE**  
**ERHARDO**  
IVRISCONSULTO ET ANTECESSORE

A. D. XXIV. JANVAR. A. C. CCCLXXXIX

PVBLINE DEFENDET  
**IOANNES CHRISTOPHORVS SCHNEIDERVS**  
ZETAV. HERMVNDVRVS

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA BREITKOPFFIANA

AMPLIATIONIBVS  
LADICORVM PARICORVM  
EXERCITATIO

IPERATRIS IARISCONSULTORVM ORDINIS  
AVOTORTATIS

TRAEZIBVS

CHRISTIANO DANILO  
BRABDO

IARISCONSULTO ET PNTICENSOR

A. G. ZECK TANKE F. C. GÖPPELZEXXII

FASIOV MELMENDT

JOVANNIS CHRISTOPHERIUS SCHNEIDERVS  
EX LIBRIS HERMANIUS

LIBRIZIE

EX OFFICINA BREITENFELDINI

---

D E  
A M P L I A T I O N I B V S  
I V D I C I O R V M P V B L I C O R V M  
A P V D R O M A N O S  
E X E R C I T A T I O

---

Perscrutantibus nobis orbis Romani antiqui monimenta eo consilio, vt quae ratio fuerit iudiciorum potissimum publicorum apud veteres Romanos, adecuratus cognosceremus, obtulit sese locus de ampliationibus, quem cum inter historiarum et antiquitatis interpres alii plane neglexerint, alii leuiter tantum attigerint, peculiari autem libello, praeter Christianum Gulielm. Bossum, qui *de reis ampliatis circa illustranda Lixii loca Lipsiae* *cloIccxliii* euulgauit dissertationulam epistolicam, explicauerit nemo, operae pretium visumus esse facturi, si hoc antiquitatis Romanae caput singulari dissertatione illustrandum nobis fumeremus.

A 2

Qua

Qua quidem in re ita versari constituimus, vt ante omnia, quid huius rei caussa apud Romanos obtainuerit, non ad aliorum fidem referre, sed ex ipsis veterum auctorum fontibus haurire, interpretum vero varias sententias inter se conferre, earum vim ponderare, easque, si modo fieri possit, conciliare conemur. Cum autem disputationis nostrae tripartita sit distributio; primo capite, ampliationis quae fuerit indeoles, definiendum; secundo, quos habuerit effectus, indagandum, tertio denique, quid de eius origine atque fatis flatui debeat, erit exponentum.

Quodsi effecerimus, vt viri docti et harum rerum intelligentes arbitri hoc antiquitatis caput a nobis illustratum et ab erroribus purgatum esse iudicent, fructum uberrimum et praemium largissimum laboris suscepiti consecuti esse videbimus.

Cum vero in eo potissimum cernatur studii antiquitatis utilitas atque praestantia, vt, si quae praeclarae atque utiliter apud veteres instituta fuisse, viderimus, ea in nostrae aetatis emolumentum convertere; et si quae reipublicae ciuibusque detimento fuisse cognouerimus, ea vt nostri, exemplis nimirum maiorum moniti, fugiant atque vitent, efficiamus: nos quoque hanc omnem de ampliationis apud Romanos ritu disquisitionem eo confilio

filio instituendam esse credidimus, ut ad ferendum de  
huius instituti utilitate iudicium via nobis aperiatur.  
Quod quidem singulari libello, alia occasione, quae  
propediem nobis dabatur, publice proponendo, in quo  
simil rituum Romanorum cum iis, quae huius rei cau-  
fa nostra aetate apud nos et apud alias gentes cultiores ob-  
tinent, comparatio instituetur, declarandum reseruamus.

Licet vero, ut postea demonstrabimus, non mo-  
do in iudiciis publicis, verum etiam in priuatis, quoties  
iudices, sibi non liquere, declarauerant, amplius pronun-  
ciare solerent Romani, nos tamen hic publicorum iudi-  
ciorum potissimum rationem propterea habebimus, quia  
haec omnis disputatio partem constituit laboris ab Immor-  
tali Leopoldo II. Romanor. Imp. Augusto nobis concre-  
diti, ut scilicet iudiciorum criminalium apud Romanos ra-  
tionem cum hodiernis moribus, legibus et institutis com-  
pararemus, et quae apud veteres praeclara reique na-  
turee consentanea nobis visa fuissent, ea, quomodo no-  
stra aetatis moribus et hodiernarum rerum publicarum  
formis atque constitutionibus admodum possint, dis-  
quireremus.

A quo quidem negotio iucundissimo et honorifi-  
cientissime nobis demandato etiam post tristissimum

Magni illius Imperatoris fatum, quo vis diuina Germaniae atque vniuersae Europae ingens vulnus inflxit, ut non dimoueamur, adeoque, cum omnia continua oratione comprehendere, nec aliorum officiorum sanctitas, nec rei ipsius grauitas permittat, singula capita singulis libellis academicis dilucidare nobis proponamus, praeter argumenti utilitatem monet nos ea, quam optimi illius et desideratissimi Principis manibus debemus, reuerentia atque pietas, quam, ut iustitiae, mansuetudinis, sapientiac omnisque honestatis et virtutis decora atque ornamenta nobis cara erunt, per omnes vitae actus atque momenta sanctissime conseruabimus.

CAPVT

---

**C A P V T I****QVID AMPLIATIO FVERIT DISQVIRITVR**

In iudiciis publicis apud Romanos hoc fuisse sollempne  
veterum scriptorum testi moniis docemur, vt, cum a  
praecone: oratores DIXISSE esset pronuntiatum, cui  
cunque iudicium, antequam in consilium mitterentur,  
a Praetore tres tabulae cereae diuersi coloris trade  
rentur, quarum vna literam C, condemnationis, altera  
literam A, absolutionis notam contineret, tertia vero lite  
ris N. L. esset inscripta, quibus formula: NON LI  
QVET indicaretur, id quod diserte ab Asconio Pedia  
no ad Ciceron Diuinat. cap. VII. et Libr. I. in Verr. cap.  
IX. perhibetur.

Quodsi latis sententiis iudicium diremitisque tabu  
lis maiori iudicium numero NON LIQVERE adparuiſ  
set, praetor AMPLIVS COGNOSCENDVM pro  
nunciauit.

Quo facto locum habuiffe dicebatur ampliatio,  
de cuius natura et inbole paucis differere constituimus.

Iam

Iam vero nobis hoc negotium adgredientibus offert se se istud ampliationis vocabulum, de cuius etymologia ne leuissima quidem potest moueri dubitatio, cum a vocabulo *amplius*, quod in formula illa Praetoris erat sollempne, verbum: ampliare, Graecis *ἀναβάλλεσθαι*, ab hoc vero, teste Asconio Pedian. ad Ciceron. in Verr. Libr. I. cap. IX. deriuata fuerit *ampliatio*, graece: *ἀναβολὴ*. Quare hoc vocabulum etiam ab iis, qui purioris latinitatis laudem quaerunt, recte adhiberi, existimamus.

Diuersis vero modis hanc rem exprimere consueverunt antiqui; mox enim *rei ampliati* dicuntur, vt ad Herennium Libr. IV. cap. XXXVI, a Lilio Libr. XLIII. cap. II. et ab Ausonio Epp. XI. III; mox *causam ampliatam*, vt apud Valerium Maximum Libr. VIII. cap. I. absol. XI; mox, *amplius pronuniaſſe* iudicem *de aliquo*, vt apud Ciceronem in Verr. Libr. I. cap. XXIX. et *amplius pronunciatum* fuisse in Verr. L. I. cap. IX. legimus. M. Ann. Seneca vero Controuerſ. I. c. III. reum a iudicibus *in poenam* fuisse ampliatum, et *poenam* non remissam, sed ampliatam, h. c. ad sententiam definitiūam delatam, dicit.

Alii de ampliatione locuturi causam pro effectu posuerunt, atque ampliatum fuisse reum his verbis indicarunt:

carunt: *dixerunt iudices, sibi non liquere*, quibus verbis  
vtitur Cicero pro Cluentio Auito cap. XXVIII; *negarunt*  
*iudices sibi liquere*, vti expressum legimus apud Quintilianum Declamat CCCLXV. et apud Lucium Annaeum  
Senecam in Epistol. LXVI.

Neque in iuris Iustinianei corpore vocabula *ampliare* et *ampliatio*, ea, qua nos hic vtimur, significatione,  
occurunt; quae enim e Paulli Libr. I. sententiar. lege XLV.  
§. I. D. de re iudicat. de non amplianda poena traduntur,  
ea non de iudicij ampliatione, sed de non augenda post  
sententiam poena damnatorum, debere intelligi, eorum,  
qui ipsam legem vel fugitivo oculo inspererint, nemo  
erit, qui negare sustineat. Rei tamen ipsius documenta  
nobis ex Vlpiani libro XIII. ad Edictum L. XIII. §. IV. D.  
de recepit, qui arbitr. receper. et ex Paulli Libro XVII.  
ad edictum L. XXXVI. D. de re iudicata exhibentur, e  
quibus, iudices datos et arbitros, quoties de re non  
dandum satis ipsis constiterit, sibi non liquere, iurasse, in  
aprico positum esse videmus.

Hic vero non possum mihi temperare, quin mon  
eam, formulam NON LIQVET numquam a praetore  
alioue magistratu, qui praeesset iudicio, *pronuncia  
tam*, sed iudicibus, tantum in consilium missis fuisse  
sollemnem, quum Praetorianimi sententiam, causam ipsis

B

ad

ad iudicandum non satis videri instructam, vellent declarare, quod cum esset factum, Praetoris erat, pronunciare *latam* a iudicibus sententiam. Qui quum, ut iam docuimus, in pronunciando non vteretur formula non liqueret, sed hac AMPLIUS COGNOSCENDVM, adcuratissime has duas formulas apud veteres auctores fuisse distinctas obseruauimus, neque enim iudices *pronunciasse*, nec *pronunciatum* fuisse, non liquere, vsquam apud veteres legimus. Nec mirum, quum pronunciare esset Praetoris seu magistratus, qui iudicio praefideret, formula NON LIQVET vero iudicibus esset reseruata ad declarandam praetori animi de causa adhuc obscura, nec ad cognoscendum idonea, sententiam. Id quod luctucentissimi veteranum testimonis confirmatur. Cicero enim de claris Oratt, cap. XXII. consules Publum Scipionem et D. Brutum, qui ex S. Cto de caede in Silua Sila facta quaesiuerint, *re auditam Amplius de consilio sententia h. e.* cum a maiori iudicium numero NON LIQVERE esset declaratum, *pronunciasse*, perhibet. Cum quo conspirat locus Asconii Pediani ad Ciceron. Lib. I. in Verr. cap. IX. vbi haec legimus: *amplius PRONVN- CIABAT VR, quum dixissent iudices, SIBI NON LI- QVERE.*

Quo vero haec sunt clariora, eo magis mirari subit, hoc discrimen a multis recentioribus rerum Romanarum

manarum scriptoribus atque interpretibus plane fuisse ne-glectum. Ita Marcellus Donatus in Dilucidatt. ad Liu. Libr. XLIII. cap. II, quae in Edit. Drakenborch. Tom. V. pag. DCCXCVIII. et in Ian. Gruteri lampad. Tom. VI. pag. CV. continentur, et M. Ant. Ferratius Lib. I. Epistol. II. pag. VII. dicere non dubitauerunt, indicem *pronunciasse*, NON LIQVE T; et Barnab. Brissonius in immortali illo de formulis sollemnibus opere Libr. V, et Libr. X de ver-borum significat. sub voc. liquet, *amplius*, vel *non liquet fuisse PRONVNCIATVM*, quem, praeter Bosium in Epistolae supra laudatae paragrapho v, etiam complures alios neglecta veterum iudiciorum ratione, esse secu-tos, obseruauimus.

Ex omnibus vero, quae a veteribus hac de re traduntur, certissime constat, indicari vocabulo isto *de-cretum* (sententiam nostri vocant interlocutoriam) eius magistratus, qui iudicio praeefset, de causa adcura-tius cognoscenda, tum pronunciari solitus, quam indices, eamdem ipsis neque ad absoluendum, neque ad condemnandum reum satis claram et exploratam vi-deri, significassent.

Iam utrum veterum auctorum testimonii nitatur haec finito, an minus, age videamus.

*Decretum* diximus, quia interlocutum fuisse praetorem in aprico est. Nam pronunciatum quidem fuisse videmus, sed ita, ut causam non, nisi iterum dicta fuerit, posse decidi indicaretur. Causam vero pluries ampliatam tandem definitua sententia fuisse decisam legimus apud Liuium Libr. XLIII. Cap. II, qui *M. Titinius bis ampliatum, tertio absolutum*, et apud Valerium Maximum, qui *causam L. Cottae septies ampliatam, octavo iudicio absolutam fuisse*, narrat.

Nec vero in arbitrio praetoris positam, sed ad iudicium in consilium missorum sententiam fuisse pronunciandam ampliationem, praeter Ciceronem in Bruto Cap. XXII. diserte docet Asconius Pedianus ad Ciceron. in Verr. Libr. I. cap. X. *amplius enim pronuntiatum fuisse*, ait, — — quum dixissent iudices NON LIQVET.

Tunc vero ampliationis sententiam a praetore fuisse pronunciatam, quum in iudiciis publicis iudices condemnare reum nondum plane coniuctum dubitarent, absoluere tamen non possent, quia a suspicione non plane liberum esse existimarent, in priuatis vero rem non satis ad liquidum perductam esse viderent, et ex ipsa illa formula NON LIQVET, et ex omnibus fere, qui de hac re superflunt, locis veterum patet. Sic, vt e mul-

— XIII —

e multis potiora tantum adferam, Cicero in Oratione pro Cluentio Auito Cap. XXVIII. *deinde*, ait, *homines sapientes ex vetere illa iudiciorum disciplina, qui neque absoluere hominem nocentissimum vellent, neque eum, de quo orta esset suspicio, re illa incognita, pecunia oppugnatum, condemnare primo vellent, NON LIQVERE, dixerunt; et Asconius ad Cic. I. in Verrem cap. XXIX. his verbis vtrit: Mos veterum hic fuerat, vt si absoluendus quis esset, statim absoluatur, si damnandus, statim damnaretur, si causa non esset idonea ad damnationem, absolui tamen non posset, amplius pronunciaretur, cum quo conspirant, quae apud Donatum ad Eunuch. Act. II. Sc. III. v. xxxix. Edit. Zeun. Tom. I. pag. cccxc. apud Vlpianum l. xiv. §. iv. D. de receptt. qui arbitr. recep. et apud Paullum l. xxxvi. de re iudicat. leguntur.*

Finem denique illius decreti fuisse, vt, causa magis explorata, quid statuendum sit, adpareat, adeoque iudicibus ad ferendam certam de reo absoluendo aut condemnando sententiam via muniatur, praeter Ciceronem de claris Oratt. cap. XXVIII. et Liuium Cap. XLIII. cap. II. omnes fere auctores veteres, qui huius rei mentionem fecerunt, vno ore testantur.

Notione igitur ampliationis ex ipsius antiquitatis monumentis, quibus solis nostra de rerum Romanarum natura atque indeole iudicia debent sustentari, ita, ut opinamur, definita, ut nemini, qui modo recto sensu praeditus est, dubitatio suboriri posse videatur: in numeros recentiorum scriptorum de hoc argumento errores et rerum toto coelo inter se diuersarum commixtiones enumerare et resellere, suissimus omisssuri, nisi nobis cauendum esse existimasssemus, ne apud eos, qui in corradendis, conuerrendis et coaceruandis quisquiliis misericordie sibi placent, negligentiae notam incurreremus. Quorum imbecillitati, ne dicam stultitiae, quam aliquid dandum sit, et tirones, ne illis erroribus praeiudicio forte auctoritatis seducti implicentur, monendi esse videantur: quomodo ab aliis modis, proferendi iudicia, apud veteres visitatis distingui debeat ampliatio, breuiter quaerere constituimus; ita tamen, ut errores magis enumerare, quam prolixa oratione refutare, conemur, quem ratio ipsa reique natura eos resellat, qui de ampliationis indeole aliter, atque a nobis iam fuit demonstratum, sentiendum existimauerint.

Tritum est atque in vulgus notum, praeter ampliationem alteram adhuc attulisse viros doctos causam differendi iudicii, scilicet *comperendinationem*. Tertiam addit Marc. Anton. Ferratius Libr. I. Epistol. II. pag. vii.

si patroni non perorarent, quam haud incommodè ad *dissensionem* referas de qua postea quaedam exponere decreuimus.

Iam ante omnia, quomodo ab illa discrepet ampliatio, videamus, discrepare enim extra omnem dubitationem positum est, neque illa refutatione digni sunt, qui, praeceunte M. Nizolio in Thesauro Ciceroniano Cellariorum opera aucto et A. C. 1595. Basileae edito, hos diuersissimos ritus, pro uno eodemque habendos esse, perperam opinati sunt. Mirandum sane est, quid sit, quod interpres recentiores, quum, quae fuerit comprehenditionis indoles, ex optimorum et fide dignissimorum veterum auctorum locis optime potuissent perspicere, germana illorum, potissimum vero Ciceronis, sententia neglecta, ad Grammaticos confugerint; quo factum est, ut, dum Asconii, qui in ista notione definienda in commentariis ad Ciceron. in Verr. Libr. I. sibi et aliis aperte contradixit, ad huius libri I. caput IX, locum corruptum et mutilum explicare aut restituere studerent, qua in re potissimum Robortellus Cap. XXV. XXVI. XXVII. adnotatt. ap. Gruterum in Lampad. Tom. II. pag. xci. sq. haud admodum feliciter operam atque studium collocauit, rem intricasse magis, quam extricasse, reperirentur.

Missis vero, quae de huius rei indole, praeter Feratium Libr. I. Epistol. IX et lo. Albert. Spiesium, qui Lipsiae anno 1595.

A. C.

A. C. cīcōccxxviii. de comperendinatione exercitatio-  
nē publicē defendit, omnes fere Ciceronis interpres et  
antiquitatū Romanarū scriptores, alii recte, alii perpe-  
ram disputauerunt, et ad libellū singularem, alia scriben-  
di opportunitatē proponendum relegatis, monemus tan-  
tum, hoc argumentum optime Ciceronis in Verrem actione  
secunda posse illustrari. Quum enim Hortensius Verris defen-  
sor agendae causae consilium abiecisset, reus, statim pero-  
rata a Cicerone prima actione, quasi conuictus, in exsilium  
sua sponte abiit. Cicero autem, qui in exponentiis ne-  
quissimi istius hominis vitiis et facinoribus omnem vim  
eloquentiae vellet demonstrare, quum in prima actione, vt  
Hortensio occasionem causae protrahendae eriperet, testi-  
bus tantum vsus, a profereadis omnibus criminibus con-  
sulto abstinuisse, iam quinque in Verrem libros conscri-  
psit, quibus hunc comperendinatum et a se altera actio-  
ne grauissimis criminibus perpetua oratione summa arte  
finxit oppugnatum. Licet vero in hoc negotio fictione  
vsus fuerit Cicero, rationem tamen iudiciorum in his  
contra Verrem libris nullo modo ab ipso fuisse neglectam  
videmus, ideoque, quis comperendinationis in foro Ro-  
mano fuerit vsus, ex dicta ista Ciceronis actione secunda  
recte colligimus. Quodsi neglectis Asconii, potissimum  
ad Librum I. adnotationibus, maximam partem falsis et cor-  
ruptis, solum Ciceronem nostri adiissent, et cum aliorum  
scriptorum

scriptorum fide dignorum locis comparassent, facilissimo negotio, quid fuerit is, de quo nobis hic sermo est, comperendinatus, potuissent intelligere. Qui enim vel hunc solum Ciceronis librum attento animo perlegerit, is non poterit non videre, toties dici, comperendinatum suisse reum, quories Praetor litigatores, ut caussam, iam ab vtroque oratam secunda vice agerent, in diem perendinum adesse iussisset, id quod sententia nondum a iudicibus lata factum suisse, ex Ciceron. in Verr. Libr. I. cap. IX. conflat. Quae quidem de comperendinationis indeole sententia quum Ciceronis auctoritate nitatur et a Marcello Donato ad Liu. Libr. XLIII. cap. II. Ferratio Libr. I. Epistol. VII. pag. xxxvi, Matthia Gesnero in Thesaur. Erudit. Scholastic. et Ernestio in elau Ciceron, aliusque non minus claris interpretibus confirmetur, quomodo a comperendinatu differat ampliatio, ut moneamus, vix necesse est. Hoc enim tantum ambobus iis ritibus in foro Romano celebratis commune fuit, quod vtriusque finis esset, vt vniuersa caussae ratio magis patasieret, et per hanc et illam iudicium prorogaretur; in aliis omnibus toto coelo inter se differre, ex iis, quae de vtriusque indeole diximus, facile colligitur. Comperendinatio enim caussa nondum perorata, nondum missis in consilium iudicibus; ampliatio non, nisi ex iudicium lectorum sententia a Practore pronuncianda, locum

C

inuenire

— XVIII —

inuenire poterat. Illa, vt per alteram actionem res ad liquidum perduceretur, adeoque satis ad ferendam certam sententiam praepararetur, erat instituta, haec tunc decerni solebat, quum, licet oratores dixissent, nondum rem satis liquere, visum esset iudicibus.

Quae quum ad distinguendas istas duas proferendi iudicij rationes sufficient, plane supersedere possemus negotio, alias adhuc distinctiones a recentioribus scriptoribus adlatas et centies recocatas recensendi.

Ex quorum quidem magno numero hacc vna tantum veritati consentanea esse videtur, quod comperendinatus reus, teste Cicerone I.I, bis tantum; ampliatus, vt ex Valerio Maximo I.I, et Liuio Libr. XLIII, cap. II, discimus, pluries caussam posset dicere. Alias vero omnes spurias esse, et falsa veterum interpretatione niti, pro explorato habemus. Iam vero quum harum distinctionum aliae ob eam cauf-  
fam falsae sint, quia naturae comperendinationis, aliae,  
quia naturae ampliationis repugnant; nos quidem, quum  
primum genus ampliorem de comperendinationis natura  
requirat disquisitionem, vtrum cum Asconio Pediano ad  
Ciceronis in Verrem Libri primi capite nono, Editionis  
Oper. Cicer. Neapolit. de A. c. I. l. xxviii. T. II. p. cxciv.  
cum Carolo Sionio de Iudiciis Libr. II. cap. XX et XXII, Mar-  
cello

cello ad Ammian. Marcellin. Libr. XXIX. in Gruteri Lam-  
pad. Tom. VI. p. ~~cccclix.~~ magnaque eorum, qui hos  
fecuti sunt, cohorte, a reo comperendinato in secun-  
da actione primo, ab accusatore vltimo loco dictum fuisse,  
statuere debeamus, an vero cum Ferratio Libr. I. Ep. IX. et ad  
Ciceron. in Verr. Libr. I. cap. IX. Editionis illius splendidae  
Neapoli euulgatae Tomo II. pag. ~~cxciv,~~ inuerso ordine  
dictum fuisse, acutissime demonstrante, nobis sit sentien-  
dum; deinde non semper, vt Sigonius de Iudiciis Libr. II.  
cap. XX. XXII. et Marcellus I. l. contendit, tertiam diem  
comperendinationi fuisse dictam, neque eandem soli crimi-  
ni repetundarum fuisse propriam, singulari libello, quo  
de comperendinatione sigillatim nobis quaestio institue-  
tur, demonstrabimus.

II tantum hoc loco nobis refutandi esse viden-  
tur, qui ob ampliationis indolem non satis cognitam fal-  
fas, cur haec a comperendinatione differat, caussas, attu-  
lerunt. Quorum in censum potissimum referendus Caro-  
lus Sigonius, qui, vii Chr. G. Heynus Vir Celeberrimi-  
mus in praestantissima illa, quam de accusatorum et iudi-  
cior. publicor. ratione apud Rom. et Graec. Gottingae A. C.  
~~ccccclxxxix.~~ proposuit, Commentatione II ait, fons  
et fundus est omnium, quae de arguento iudiciorum  
Romanorum scripta sunt. Sigonius igitur, Lib. II. cap. ~~XXXII.~~  
<sup>modis scriptis finis A. a. D. m. D. monachorum inde</sup>  
vbi

vbi de differentia illa sermonem instituit, his verbis utitur: *in comperendinatione potuit esse ampliatio, in ampliatione nequaquam comperendinatio*, quae verba, praeter Rosinum Antiquitatis Romanar. Libr. IX. cap. XXIV. fideliter exscripsierunt complures. Sed, quid sibi cum hoc effato voluerit vir iste Celeberrimus, nescio. Ut enim verum est, in ampliatione non fuisse comperendinationem, ita, quomodo illa in hac esse potuerit, non video. Quum enim, vti iam vidimus, reus non, nisi ex iudicium in consilium missorum sententia, posset ampliar; in comperendinatione, qua, caussa nondum perorata, neque ad iudices lectos perlata, quum a Praetore ad iterum dicendum litigatoribus dictus esset dies perendinus, locum inueniebat, ampliationem esse potuisse, nemo contendere audebit, nisi qui, vocabuli sono deceptus, in quounque iudicio prorogato hanc obtinuisse, perperam fuerit opinatus. Ita igitur Sigonii sententia esse viderur comparata, vt ad rem obscurandam magis, quam illustrandam, faciat. Nec praetereundus est aliis, non minus grauis Sigonii error. Capite enim Vigesimo secundo libri de Iudiciis secundi: *non omnes leges admisiffere ampliationem* contendere non dubitauit, quem errorem ex loco isto Clasico Ciceronis in Verr. Lib. I. cap. ix. male intellecto fluxisse videmus, cui errori iterum hoc dedit occasionem, quod magis Asconii interpretationem,

quam

quam ipsam genuinam Ciceronis sententiam, viri docti  
sequerentur. Quae omnis de hoc loco' quaestio cum  
arctissime cohaereat cum iis, quae de lege Seruilia et Aci-  
lia nobis dicenda sunt, tertio huius nostrae disputatio-  
nis capite, quo de origine et fatis ampliationis, qua-  
estio a nobis instituetur, reseruamus. Id tantum hic ad-  
dere placuit, primo in omnibus iudiciis publicis, nul-  
lo excepto permisum fuisse iudicibus, causam ampliare,  
id quod vel ipsius rei naturam docere videmus. Quum enim  
iste mos inde originem haberet, quia, de hominis capite,  
nisi satis clara et explorata caussa, non esse iudicandum,  
Romani censerent: quod in vno iudiciorum' genere ac-  
quum et iustum existimatum esset, id in aliis non admittere,  
non modo iniquum, verum etiam iniustum fuisse futurum,  
nemo est, qui negare sustineat. Accedit, quod amplian-  
di potestatem in diuersissimis delictorum generibus fuisse  
iudicibus Cicero in Orat. pro Cquentio cap. XXVII. pro  
Caecina cap. X. et in Verr. Libr. I. cap. XXIX, et Va-  
lerius Maximus Libr. VIII. de iudiciis publicis, de absolutt.  
cap. XI, sint auctores. Deinde in omni iudiciorum gene-  
re habuisse rei ampliandi potestatem iudices, non mo-  
do ex iis, quae in Terent. Phormione Act. II. Scen. IV.  
v. xvi. et a Donato ad Eunuch. act. II. Scen. III. v. xxxix.  
dicuntur, colligere possumus, verum in cauissis quoque  
priuatis amplius fuisse pronunciatum, nec Siganus ipse

I. l. Libr. I. cap. XXIX. negare ausus est, et luculentissimis veterum auctorum testimoniiis docemur. Ita in Ciceronis Orat. pro A. Caecina cap. XI. et cap. XVIII. causae priuatae ampliatae fit mentio, et Aul. Gellius se lectum in iudices, ut iudicia priuata susciperet, in causa aliqua pecuniaria iurasse, sibi non liquere, Libro XIV. cap. II. Noctt. Attic. narrat, et Vlpianus Libr. XIII. ad Edict. de arbitr. haec dicit: *proinde, si forte urgetur a praetore ad sententiam, aequissimum erit, si iuret, sibi de causa nondum liquere, spatiuum ei ad pronunciandum dari.* Nec minus Paullus Libr. XVII. ad Edict. ex Pomponii Libr. XXVII. ad Edict. haec adsert: *si uni ex pluribus iudicibus — de re non liqueat, caeteri autem consentiant, si is iuraverit, sibi non liquere, eo quiescente caeteros, qui consentiant, sententiam profervi, quia, et si dissentiret, plurium sententia obtineret, quos locos in Digestis, illum L. XIII. §. iv. de receptt. et qui arbitr. receperere; hunc l. xxxvi. de re iudicata, nobis conseruatos fuisse, lactamur.* Ita vero testimonia quum ita sint comparata, ut ne minimam quidem nobis relinquant dubitationem, vix opus est, ad M. Anton. Ferratii, et Ioan. Hoppii auctoritatem confugere, quorum vterque, ille in notis ad Ciceron. in Verr. Libr. I. cap. IX. et in Epistolarum libro primo Epistola nona, hic vero in Dissertat. de iudicibus a praetore et prouinciarum rectoribus ad causas priuatas dari solitus,

tis, Lugduni Batauorum A. C. c*l*o*s*c*o*c*o*x*ix*, defensa,  
quam in Oelrichii Thesaur. nou. Dissertatt. iuridicar, Vol. I.  
pag. viii. recusam reperimus, veram de hac re amplexus  
est sententiam. Cum vero videamus, ampliationem mul-  
ti certo generi caussarum reseruatam; comperendinatio-  
nem singulari lege, nimirum Glacia, introductam fuisse;  
ex Cicerone in Verr. Libr. I. cap. IX. discimus. Vtrum  
vero repetundarum tantum, an vero etiam aliorum cri-  
minum rei fuerint comperendinati, in ea, quam paramus,  
singulari de comperendinatu disputatione erit nobis disqui-  
rendum, vbi simul, quid de Spiesii opinione, quam iste in  
Exercitationis supra laudatae paragrapho octaua exposuit,  
de huius ritus in caussis ciuilibus vsu statuendum sit,  
quaerere decreuimus. Antequam vero ab hoc disputationis  
nostrae argumento ad aliud transeamus, Heineccium  
humani aliquid passum fuisse, monebimus, qui in Syntag-  
mate Antiquatt. Romanar. Iurisprud. illufrantium Libr.  
IV. Tit. xviii. §. xxx. de comperendinatione dicturus, his  
verbis vtitur: *Caeterum lex, ex qua agebatur, aut hanc  
enam actionem admittebat, aut comperendinationem  
concedebat. Si unica actio admittebatur, tum finita  
defensione, statim in suffragia mittebantur indices,  
et sic PRIMO COETV, vel PRIMO iudicare  
dicebantur.* Auctor ad Herenn. libr. IV. xxxvi. *Vos  
veriti estis, si primo coetu condemnassetis, ne crudoles  
existimare-*

existimaremini? Quae verba egregie interpretatur  
Turneb. Aduers. XX. xxv. Sin lex comperendinatio-  
nem haberet: tum perendie noua instituebatur partis  
utriusque recitatio, sed ita, ut priore loco reus, po-  
steriore accusator diceret. Cicer. Verrin. I. ix. et ibi  
Asconius Paedianus. Sed in hoc loco exponendo egre-  
gie falli istum virum Celeberrimum, inspecto ipso quem  
confirmandae sententiae causa attulit loco Ciceronis integro,  
ubi de ampliatione sermonem esse, iauenimus, clarissime  
adparebit. Ita enim legimus in Libr. ad Heren. IV. c. XXXV.  
*Quid fuit, indices, quare in sententiis ferendis dubi-  
taueritis, aut istum hominem nefarium ampliaueritis?*  
Non apertissimae res erant criminis datae? Non omnes  
haec testibus comprobatae? Non contra tenuiter et nu-  
gatorie responsum? Hic vos veriti estis, si primo coetu  
condemnassetis, ne crudeles existimaremini? Dum eam  
vitatis vituperationem, quae longe a vobis erat absu-  
tura, eam inuenistis, ut timidi atque ignavi putaremini.  
Deinde, reum comperendinatum fuisse, antequam in con-  
silium missi essent iudices, iam demonstrauimus. Quo-  
modo igitur, reo non comperendinato, dici poterant iudi-  
ces primo coetu, hoc est, quando primo erant in con-  
silium missi, iudicasse, quum comperendinatione non  
efficeretur, ut bis in consilium mitterentur? Formula  
igitur: *primo indicauerunt* opponitur illi: *dixerunt*  
sibi

sibi non liquere, adeoque iudices tunc tantum, quum ampliassem reuin, ipsos non primo iudicasse dici poterant, id quod, praeter rei ipsius rationem, Cicero docet, loco paullo ante adlato et Libro in Verrem I. cap. IX. his verbis: *antea vel iudicari primo poterat, vel amplius pronunciari; et sub finem eius capit: ita mittam in consilium, ut etiam si lex ampliandi faciat potestatem, tamen isti turpe sibi existimant, non primo iudicare; et pro Cluentio l. l. homines sapientes, — qui neque absoluere hominem nocentissimum possent, neque re incognita primo condemnare vellent, non liquere dixerunt.* Quum autem Poletus in historia fori Romaini Lib. IV. cap. XV. ex Ascenio Pediano, communione isto, quibus hic locus scatet, errorum fonte, in ampliatione scilicet eum tantum, in cuius oratione fuisse obscuritas, in comprehensione virumque, et accusatorem et reuin dixisse, tradiderit, quid de commentatio isto discrimine sit statuendum, secundo huius libelli nostri capite, vbi de effectibus ampliationis dicemus, quaerere constituimus.

Iam de diffissione nonnulla addee, et quo pacto ea ab ampliatione differat, videre iuvat. De eorum quidem, quae hac de re lege decenniali fuerunt cauta, haec nobis superfunt:

VADES SVBVADES  
extra quam si MORBV SONTICVS . . . VOTVM  
absentia Reipublica Ergo  
AVT STATVS DIES CVM HOSTE  
intercedat: nam SI QVID HORVM  
FVAT VNVM IVDICI ARBITROVE  
REOVE EO DIE DIFENSVS ESTO

Cuius in legis interpretationem euagari omittimus, et quoniam ab instituto nimis foret alienum, et quia otium nobis in hoc negotio fecerunt clarissimi XII. Tabularum interpretes, inter quos nobis hic potissimum laudandi esse videntur Iacobus Godofredus in quatuor fontibus Iuris Ciuilis; Marcilius in collectt. et interpretamento LL. XII. tabb. Raeuardus in Commentario cap. V. Grauina in Operum Tomo II. ad h. l. Paull. Merula de LL. cap. II. vi. in Operibus posthumis pag. XXXIX. et Buchaldus in Commentariis in LL. XII. Tabb. qui Gallico idiomate sub titulo: *Commentaire sur la loi des douze tables par Mr. Bouchard*, prodierunt, pag. CCCIII. Iam non, nisi de significatu vocabuli DIFENSVS, solliciti esse debemus. Varias vero circa lectionem huius loci emendandam et restituendam discrepantes commentatorum opiniones, facile posse coniungi crediderim. Siue enim cum Godofredo, Grauina, Merula aliquique ab obsoleto verbo *fendo*, quod teste Prisciano olim in vsu fuit, siue cum Joanne

Corasio

Corasio in Miscellaneor. cap. XXXII, pag. CCCCLXII. DIFENSVS et cum Iac. Cuiacio Obseruatt. Libr. XII. cap. XIII. DIFFEISVS, seu ex auctoritate Digesti Florentini et Haloandrini, vbi in loco Vlpiani l. II. si quis cautionib. in iud. sistend. causa fact. non obtemp. hoc verbum occurrit, DIFFISSVS, aut, DIFISSVS legeris; hoc tamen, auctore Euerardo Ottone in Dissertatione de LL. XII. Tabb. quae in eiusdem Commentario ad Institutt. ab Harprechto edito typis repetita legitur, seu ex prisca legis Xviral. latinitate DIFENSVS, seu ex recentiori ratione loquendi cum Vlpiano DIFFISSVS legeris, vtroque vocabulo iudicij dilationem, seu prorogationem ob legitimum a parie rei, patroni vel iudicis oblatum impedimentum, concessam insigniri, videbis. Eiusmodi autem impedimento oblati, licet Aeron Horatii Scholiaestes ad Lib. II. Satyr. I. v. LXXIX: *Practorem dixisse, adferat, hic dies DIFFISVS est,* tamen iuvito etiam altero litigatore ac iudice, diem ipso iure fuisse interruptum, praeter Cuiacium l. l. etiam Euerardus Otto in Dissertat. laudata adfirmat. Quae quum ita sunt, nec causa: non enim impedimentum, sed rei obscuritas ampliandum reum suasit; nec modo decernendi: difissio enim siebat ipsa lege; ampliatio a iudicibus in consilium missis; uterque modus prorogandi iudicium congruit. Diffissa causa neque, vt comperendinatio, certum tempus re-

requirebat, quo litigatoribus esset comparendum, sed, remoto impedimento iudicium fuit continuatum; quum in ampliacione et nouis dies diceretur, et altera pluribus uectio-  
nibus de nouo esset perorandum. Haec ita clara sunt, ut  
ne verbum quidem de hac apertissima discrepantia fuiss-  
sem additurus, nisi unum adhuc mihi esset monendum.  
Poterat causa diffindi etiam ob eam rationem, quum  
iudex, quid ipsi faciendum esset, incertus, sibi consu-  
lendos censuisset alios, qui ipsum consilio adiuua-  
rent, quod discimus ex Gellio Nocti attic. Libr. XIV.  
cap. II. qui apud se, iudicem datum, petitam fuisse pecu-  
niā, ait, quae dicta fuerit numerata, sed eum, qui pe-  
tierit, virum bonum et vitae inculpatissimā, neque testi-  
bus, id factum docuisse, et argumentis admodum exil-  
bus fuisse nisum; illum autem, unde peteretur, hominem  
vita turpi et sordida conuictumque vulgo in mendaciis,  
plenumque fraudis et perfidiarum fuisse ostensum. De  
quo iudicio haec narrat: *Tunc ibi amici mei, quos ro-  
gaueram in consilium, viri exercitati, atque in pa-  
tronociis et in operis fori celebres, semperque se cir-  
cumundique distractentibus causis, festinanter, non se-  
dendum diutiis, ac nihil esse dubium dicebant, quin  
absoluendus foret, quem accepisse pecuniam illam,*  
*nulla probatione sollemt docebatur.* Sed enim ego ho-  
mines cum considerabam alterum fidei, alterum pro-  
pri

bri plenum, spurcissimaeque vitae ac diffamatiſſiae, nequaquam adduci potui ad absoluendum. Iussi igitur, diem diffundi, atque inde a subsellio pergoire ad Phauorinum philosophum, quem meo tempore Romae plurimum sectabar, ac de hominibus, quae apud me dicta fuerant, vti res erat, narro omnia, ac peto, vt et ipsum illud, in quo haerebam, et caetera etiam, quae obſeruanda mihi forent in officio iudicis, faceret me, vt earum rerum effem prudentior. Quae iudicij prorogatio, quum non minus, quam ampliatio ob incertitudinem iudicis siebat, tamen, quin illa ob eam cauſam fieret, vt iudex, quam ſententiam ferre deberet, diſcret: haec, quoties iudicem certam ſententiam, ob rei obſcuritatem, ferre non posset, decernebatur. Ita hac ipſa cauſa, et diffiſſum iudicium, et poſtea ampliatum fuſſe, ex eodem Gellii loco perſpicimus. Sed maius ego, altiusque id eſſe exiſtimau, quam quid meae aetati et mediocritati conueniret, vt cognouiffe et condemnaffe de moribus, non de probationibus rei glorie viderer, vt abſoluerem tamen inducere in animum non quivi, et propterea iuraui, mihi non liquere, atque ita illo iudicatu ſolutus sum. Neque audiendus eſt Bosius, qui in epiftola laudata, cauſam, et quum comperendinata, et quum ampliata fit, diffiſſam dici poſſe, contendit, quum iam nec cum hac, nec

cum illa, praeter prorogationem Iudicij, aliquid diffi-  
fioni esse commune, euidentissime demonstrasse nobis vi-  
deamur.

---

C A P V T II

QVOS EFFECTVS HABVERIT AMPLIATIO  
OSTENDITVR

---

Iam nobis hunc locum exposituris statim a princi-  
pio refutandus est Asconius, qui loco supra lau-  
dato, in ampliatione *eam partem dixisse* perhibet, *in*  
*cuius peroratione obscuritas visa fuisset*, quem refel-  
lere studuerunt Manutius de LL. Romanis pag. LIII. et, qui  
hunc fecutus est, Philippus Broideus in praetermissis ad  
Francisc. Polleti histor. for. Roman. Libr. IV. cap. XV.  
Licet vero illo Liuii loco, quem contra Asconium attule-  
runt duumiri isti celeberrimi, nihil inesse, quo Asco-  
nius possit refutari, demonstrauerit Robortellus Adnotatt.  
Lib. II. cap. XXV, ex rei tamen ipsius natura, aliisque ve-  
terum testimoniiis, ab vitroque litigatorum, causa ampliata,  
altera actione fuisse peroratum, recte colligere potes.  
Quodsi in solius accusatoris oratione fuisset obscuritas,  
nonne huic soli altera actione augere crimina, nec reo quo-  
que,

que, vt a criminibus sese defenderet, permisum fuisse, credamus? Nonne hoc esset Romanos, iusti alias tenacissimos, atrocissimae iniustitiae accusare? Neque vbi locus ampliationi esse debebat, vnius tantum litigatoris caussa obscuritate poterat laborare; sed ab utraque parte sese obtulerunt, quae incertos ac suspensos tenerent iudices. Quod si satis clara fuissent crimina ab accusatore prolata, condemnandus; si defensione satis visus fuisset excusatus reus, absoluendus fuisset, non ampliandus. Accedit, quod non tam orationis obscuritas, quam caussae ipsius ambiguitas ampliationi daret occasionem. Tum eorum locorum, qui de ampliatione apud veteres scriptores leguntur, vlli, tantum abest, vt aliquid insit, quo stabiliri possit Asconii sententia, vt plura etiam, in iisdem, quae ipsum refellere possint, inueniantur. Sic ampliato reo altera actione causam fuisse peroratam, testatur Cicero in Verrem Lib. I. cap. IX, in qua quidem utrumque litigatorem dixisse vel ipsa actionis vi atque natura intelligere est; ex eo ipso et quod Praetor amplius cognoscendum esse pronunciavit, colligi potest, non unam, sed alteram quoque partem fuisse auditam. Non igitur est, quod dubitemus, Heineccio in antiquitatt. Libr. IV. Tit. xxxiii. adsentiri, qui de hoc arguento, si non *absolutionis*, ait, sed *ampliationis* tantum pronunciata esset sententia, denuo cognosci solebat caussa alio die, quem praetor arbitratu suo statue-

*statuebat. Tunc iterum primus dicebat accusator, deinde patronus, denuo in consilium mittebantur indices, idque eo usque fiebat; donec ad liquidum perducta esset causa.*

Et magis haec omnia confirmantur, si, quae amplianda caussae occasionem dare potuerint, diliguerimus. Vituperandos Auctor. ad Herenn. Libr. IV. cap. XXXIII. iudices existimat, qui reum ampliarent, quoniam apertae essent res criminis datae, testibus comprobatae, et a reo tenuiter ac nugatorie esset responsum. Quid igitur ampliatae caussae iustam dare potuit occasionem? Nempe eum crimina essent obscura, nec res testibus satis esset euicta, et ea defendendi ratione usus esset reus, qua quidem crimina ipsi obiecta dubia redderentur atque incerta, ita tamen, ut a suspicione non adeo videretur liberatus, ut ad eum absoluendum adduci possent iudices. Quid igitur ampliata caussa litigatoriibus erat faciendum? Scilicet accusatori crimina uberiori exponenda, testes aut noui adducendi, aut iterum examinandi et cum reo committendi; reo vero si modo fieri posset, quae ad ipsum exculpandum essent idonea, iterum erant proferenda, augenda et confirmanda. Alio quoque defensore, ac prima actione, ut licuisse reo, Cicero auctor est libro de claris oratt. capite XXII. vbi quosdam publicanos in iudicio consulari bis ampliatos, auctore Laelio, qui ipsos hucusque defendisset, ad Ser. Galbam,

bam, quod is in dicendo ornatior acerorque esset, causam detulisse, accepimus.

Perorata iterum causa, missisque denuo in consilium iudicibus, aut rursus causa fuit ampliata, id quod teste Valerio Maximo l. l. in causa Cottae septies factum fuit, aut ampliationem, causa ad liquidum perducta, sequebatur, ut in causa Philodami, quam Cicero in Verr. Libr. I. cap. IX. narrat, condemnatio; aut absolutus est reus, ut de Marco Titinio bis ampliato, tertio absoluto refert Liu. Libr. XLIII. cap. II. Quibus testimonii Asconium erroris conuincere possumus, qui iudices tunc tantum ampliasse reum tradit, cum mala eius causa esse videretur, quem locum, quia corruptum et mutilum putaverat magnus iste A'conii sui defensor atque vindicta Robor tellus l. l. cap. XXVIII. restituere conatus est, ita tamen, ut error iste apertus nullo modo ab eo reperiretur correctus: nam iudices reum ideo, ut tempus ipsi esset effugiendi, ampliasse asseuerat, cum tamen *ex animi sententiare* se iudicaturos *iurassent*, adeoque, si de eo, quem solum esse existimarent, sibi non liquere, dixissent, iuris iurandi religionem in quacumque ampliatione fuissent violatuli, id quod sine iniuria contendi non potest.

---

### C A P V T III

#### D E A M P L I A T I O N I S O R I G I N E A T Q V E F A T I S

---

Vnde originem traxerit ampliatio, si quis quaesierit, ex vetustissimis Romanorum institutis deriuandum hunc morem, neque illa certa lege introductum esse, responderem. In Graecia enim, vnde Romanos magnam legum et institutorum partem repetuisse constat, ampliandi morem non fuisse receptum, luculentissimis testimonii est comprobatum. Athenis enim non ut Romae tres, sed duas tantum yrnas positas fuisse, quarum vna misericordiae altera mortis vrna vocaretur, praeter Lysiam aduers. Simon. pag. LXXXVIII, edit. Io. Taylori et Ierem. Marklandi, Londini A. CLOCCXXXIX. euulgat. etiam Aristoteles Libro II. ἐντομῶν pag. DXXII. Tomi II. edit. Parif. ex recens. Duvalli, et Iul. Pollux in Onomastico Libr. VIII. cap. X. §. cxvii. perhibent. His vrnis iudices absoluturi calculum album, condemnaturi nigrum immittebant. Si paria essent suffragia calculis albis vnuis adiuc quo reus a poena liberaretur, addebat, Calculus Mineruae, de quo videsis Puttmanni, Viri Celeberrimi, quem honoris cauſa nomino, elementa Iur. Criminal. §. DCCCCLXXVI.

Quodsi

Quodsi quis de ampliationis apud Romanos origine recte iudicare velit, potissimum ipsi cauendum est ab erroribus, in quibus male intellecto loco illo Ciceronis in Verr. Lib. I. c. IX. interpretes impediti haeserunt. Ab hoc enim loco omnia, quae de hac re circumferuntur, commenta tamquam ex fonte manarunt. Haec igitur nobis ante omnia paucis[!] sunt enucleanda, vt, eo clarius, quae eius rei fuerit ratio, patescat.

De repetundarum criminis ante Ciceronem has leges fuisse sanctas nouimus: *Legem Calpurniam latam A. V. DCIV, Aciliam latam a Marco Acilio Glabrone Tribuno plebis, quam Seruilia fuisse antiquorem contra Hotomanum caeterosque L. L. Romanarum commentatores omnes grauiissimis argumentis exposuit Io. Aug. Ernestius in Catalogo L. L. clavi Ciceronianae praemiso; Legem Seruili Glauciae A. V. DCLIII. qua, teste Cicerone, primum caustum fuit, vt comperendinaretur reus, quem autem lege Aecilia huius rei causa nihil sanctum, libertas primo iudicandi, nisi ampliare voluissent, iudicium arbitrio esset relictum; Legem denique Corneliam latam a Cornel. Sulla post Seruiliam.*

Iam Cicero, quem Verrem repetundarum accusasset, eundem, vt iam supra docuimus, cum iste statim post primam actionem sponte in exsuum abiisset, fixit comperendinatum, atque altera actione a se conuentum. Quum

vero Libr. I. cap. ix. moleste tulisse Hortensium Verris defensorem fingeret, quod prima actione nimis breuis fuerit Cicero, nec dederit reo respondendi sique se defendendi occasionem; his argumentis contra eum usus est: duriorrem esse legem Seruiliam, qua comperendinatio sit praescripta, lege Acilia, qua vel iudicare primo, vel amplius pronunciare, liberum esset iudici, ita locutus: *verum, ut opinor, Glaucia primus tulit, ut comperendinaretur reus: ante, h. e. ante L. Seruiliam, vel indicari primo poterat, i. e. liberum erat iudici, primo iudicare, quod quid sit iam supra exposuimus, vel amplius pronunciar. Vtram igitur putas legem molliorem?* Opinor illam h. e. Aciliam, veterem, qua vel cito h. e. sine comperendinatu, *absolui, vel tarde, sive ampliata causa, condemnari licebat.* Ego tibi illam Aciliam legem restituo, *qua lege, licet ea permissa esset ampliatio, multi tamen semel accusati, semel dicta causa, semel auditis testibus, statim primo coetu condemnati sunt.*

Qui quidem locus, *vt opinamur, ita, vt rei consentaneum* esse videatur, a nobis explicatus, multis erroribus debet occasionem, quorum eos potissimum hic recensemus, qui in origine ampliationis constituenda sunt commissi. Namque alii huius loci interpres, fuisse quandam legem veterem Seruilia vetustiorem, *qua ampliatio fuisse permissa, contendunt, eamdem Legem Seruiliam fuisse sublatam, eaque com-*

peren-

perendinationem institutam, Aciliam vero et ampliationem et comperendinationem sustulisse, quae ambae Lege Cornelia fuissent restitutae; hanc vero sententiam Asconii, quem fecutus est Graeuius ad. h. l. Hofmannus in historia juris Vol. I. pag. xc aliisque, hic refellere non opus fuit, quam et Ferratius in notis ad hunc Ciceronis locum pag. cxcvi et Ernestius l. l. iam nobis hic fecerint orium,

Alli quidem, quam liberam lex reliquerat ampliationem, lege expressa fuisse introductam censuerunt. Sic Singtonius ampliandi potestatem praetori factam fuisse Lege Seruilia, ex hoc Ciceronis loco male intellecto, colligit, adeoque in fragmento Legis Seruiliae ab ipso Libr. de Iudicis I, capite XXII, exhibito et ex suo ingenio suppleto, addidit haec:

De ampliendo reo . . . Si Praetor qui eam rem  
QVAERET EX H. L. CAVSAM non nouerit, ei  
amplius pronunciare fas sit.

Quae ad verbum exscipta legimus apud Hofmannum in Histor. Jur. Tom. I. pag. cxxxiii. Manutius quoque L. Acilia ampliandi datam existimat potestatem. Quos tum ip'a rei ratio, tum Ferratius ad hunc Ciceronis locum pag. cxcviii. Vol. II. edit. opp. Ciceron. Neapolit. tum etiam Garatonius ad. h. l. pag. cxcviii. Vol II eiusd. edit. re'ellit, quibus lo. Aug. Ernestium l. l. suffragari video. Quae omnia nos mouent, vt cum Ferratio, Ernestio et Garatonio

ritum ampliandi non legibus praescriptum, sed moribus  
fuisse introductum credamus. Eadem quoque nos docent,  
ampliationem quæstionibus perpetuis esse multo antiquior-  
rem, quam auctore Cicerone ante L. Seruiliam fuerit  
recepta. Neque aliud quod sub Imperatoribus usque ad  
Iustiniani tempora obtinuisse, ex locis A. Gellii, Senecæ  
Pauli et Vlpiani in Superioribus pag. XXII. a nobis adlati  
ita patet, ut nulla hac in re amplius nobis suboriri posse  
videatur dubitatio. Nec multa in isto ritu successu tem-  
pori mutata fuisse, existimo, nisi forte hoc, quod iudices  
non semper tabulis, quarum sub initium Capitis I. fecimus  
mentionem, sibi non liquere, declararent, sed de animi  
sententia viua voce eum qui iudicio præcesset, redderent  
certiorem, quod ex auctoribus modo laudatis colligi posse  
existimauimus. Atque haec quidem de ampliationibus  
publicorum iudiciorum apud Romanos hactenus.

C O R R I G E N D A.  
pag. X. l. 7. pro distictas lege *distinctas*. pag. XXI. l. 4. pro: nobis di-  
cenda sunt, tertio lege nobis dicenda sunt, *eam* tertio. pag. XXI. l. 5.  
pro capite lege *capiti*.  
Reliquos, si qui supersunt, minoris momenti errores Lector ipse be-  
nevolè emendet.






Leipzig, Diss; 1793

ULB Halle  
004 350 43X

3




f TA-202

hier Seite 6. bisher vermisst

KDP





DE  
A M P L I A T I O N I B V S  
IUDICIORVM PUBLICORVM  
APVD ROMANOS  
E X E R C I T A T I O

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS

A V C T O R I T A T E

P R A E S I D E

CHRISTIANO DANIELE  
ERHARDO

IVRISCONSVLTO ET ANTECESSORE

A. D. XXIV. JANVAR. A. C. CLXXXIX

PUBLICE DEFENDET

IOANNES CHRISTOPHORVS SCHNEIDERVS

ZETAV. HERMVNDVRVS

LIPSIAE  
EX OFFICINA BREITKOPFFIANA